



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digres. 21. Intellectus & primæ materiæ sensusque comparatio: Deque  
triplici intellectu, humano, Angelico, Diuino, ad tex. com. 74.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

DIGRESSIO XXI.

In intellectus & prime materia sensusque comparatio. De quo triplici intellectu, humano, Angelico, & Divino.

Intellectus prime materiae similis.

Verum enim verò etsi noster intellectus ab omni materia abiunctus sit, ipse tamen intellectuum omnium materia est: perindeque in incorporeis ad intellectuales formas, atque in rebus corporeis prima materia ad reales ac naturales sese habet. Primam materiam informem quodam subiectum formis omnibus, quae in natura gignuntur & existunt, subternimus; siue accidentium ea sunt, siue substantiarum: nec earum ullam vt propriam & connaturalem illi concedimus, propterea quòd omnes suscepra est. Intellectu vero cognitionibus cunctis & habitibus sed intellectibus formis informem planè subijcimus, vt cunctas possit recipere. Atque vtriusque formarum generis suscepraone id efficitur quod tum in natura, tum in mente, actu est & perfectum. In natura compositum, in mente id, quod intellectuum habitu dicimus. Sed materia substantia est, intellectus animae facultas & qualitas. Materia primus actus substantiae corporeae, velut primum aliorum omnium subiectum, intellectus secundarius potius in intellectu huiusmodi genere actus, secundariumque subiectum. Quippe accidens primum actus primumque subiectum esse non potest. Quare quod est primum atque aliorum omnium principium & fundamentum, est intelligens anima, secundarium intellectus: tum habitus & cognitiones accedunt velut rerum intellectuum formae, quibus tum intellectus, tum anima exornantur ac perficiuntur. Vtriusque sane potestas plurima continetur. Sed materia patienti duntaxat & suscipiendi potestas est: intellectus agendi primum & intelligendi, deinde patienti quoque & suscipiendi. Ideò illa, nisi ab alio reducatur ad actum, nunquam ad formam peruenit, hic à seipso reducitur atque in seipso formas omnes procreat. Vnde triplex existit in rebus potestatis genus. Primum patienti solùm & suscipiendi. Alterum agendi duntaxat & producendi. Tertium tum agendi & producendi, tum patienti & suscipiendi. Primum materia est, alterum efficientis causae, vel etiam agentis naturae, quae in materiam velut patientem agit: tertium intellectus, qui in seipso operatur. Duoque illa, quae in natura diuisa sunt ac tantopere separata, in anima, quae melioris est, quam natura, conditionis, perfectiori modo collecta sunt & colligata. Eoque magis, quòd melior fuerit animae pars. Sensus namque operatur quidem & ipse in seipso & agit ac patitur, sed duas habet imperfectiones. Alteram, quòd externi obiecti à quo ad agendum excitetur & quasi moueatur, praesentiam postulat. Alteram, quòd in organo corporis realem quoque & naturalem motum atque actionem ab obiecto illo admittit: immò & requirit. Intellectus neutro indiget. Sed dum versatur in corpore, antequam scientiarum habitus sibi comparet, phantasia obiectum propo-

Quare una diffinitio.

Potestas triplex in natura.

Intellectus & sensus cognitio ut differant.

A mente opus habet. Quamquam hoc illi per se considerato accidentarium est. Et ideo aquino habitibus, aut diuilius & separatus à corpore, absque villo phantasiae vna ipse sibi solus sustinetur est.

At quoniam anima nostra inter animas suprema in intelligentium substantiarum genere perfectissima non est: illius intellectus omnium primus & perfectissimus non censetur: sed multò & perfectioris, qui est omni modo materia separatus. Noster intellectus octo partibus habet perfectiones. Primam, quòd anima est & facultas, non substantia. Alteram, quòd consequentium omnium fons est & origo, quae facultas exiit anima; hoc est diuinitate & perfecte substantiae, quae alterius pars sit. Tertiam, quòd etsi non ita materialis existit, quae ex materia gremio educus in eoque nutritur sustentatur, vt ceterae formae ac virtutes inferiores (quod esse permittit cum materia philosophus appellauit: ) eatenus tamen cum illa coniunctus est, quatenus eam format, periculis exornat: etsi ab illa interdum separatur, tamen perpetuo respicit ac desiderat. Quartam, quòd non est actu, sed potestate, intellectus nec ea in se habet, sed extra se quaerit. Quintam, quòd licet corporis organo non vtatur, cum primum tamè cognoscere quidam motum sensuum opera indiget, nec cognoscere quidam potest, nisi à sensibus haultum atque à phantasia subministratum. Vnde non parum impeditur cognitio; cogiturque per se ab incepto delinere; fatigata scilicet phantasia. Sextam, quòd non illico operatur, nec assequitur statim quod querit. Sed inuestigando, ratiocinando, minusque ex alio colligendo, laborat multum, temporisque consumit plurimum. Septimam, quòd in hac inuestigatione errat per se atque operam perdit: nec verum semper assequitur, sed erroribus multis obnoxius est. Octauam, quòd omnis eius operatio aduentitia illi est & accidentaria, neque idem cum ipsius substantia.

Imperfectiones haec in intellectu separato substantiarum nullas esse creditur Aristoteles vt ex 12. Metaphysic. libro colligitur. Re veniatem in supremo omnium ac optimo intellectu diuino nullae sunt. Is enim facultas non est, sed ipsissima substantia, infinita, illuminata; Eiusque essentiam, & ideo simplicissimam & absque compositione vlla: Quippe essentiae virtutis, operationis, & aliam quamcumque entis rationem absorbet: estque semper in actu intellectus omnia, nec extra se quidquam intuetur; sed vt in seipso rationem entis omnem supremo quodammodo continet: ita seipsum inspicit omnia quae sunt, fuerunt, erunt, aut esse possunt, per seipsos, & exemplares cunctorum formas in seipso intelligit.

At in ceteris inferioribus intelligentijs, quae creata entia sunt, finita, limitata; & ideo materiae quaedam omnis expertia, sed alijs pluribus modis composita, ex esse & non esse; actu & potestate, essentia & existentia, natura & supposito, substantia & accidente; natura, virtute, & operatione: Intellectus sane facultas quaedam est & substantiae aduentitium accidens; sed integra accipit

Digressio XXI

ac perfecte substantia. Neque aliam ex commemoratis intellectus nostri imperfectionibus habet, nisi quod etiam actu per se ipsum intelligat, atque alias coplures a natura infusas cogniciones habeat, ad alias tamen qualdam potestate est; quas a rebus ipsis accipit: cuiusque intellectione accidens est; non substantia, aduentitia, non essentialis.

Quapropter tres existunt intellectus gradus, diuinus, Angelicus, & humanus. Diuinus lapremus & perfectissimus, humanus infimus & imperfectissimus: angelicus inter vtrumque medius. Queque in hoc libro cum ab Aristotele, tum a nobis, aut de intellectu dicta sunt, aut deinceps dicentur, de solo humano, qui anime facultas est, intelligenda sunt. Nati quod affirmatum est, intelligere esse susceptionem quandam passioni similem, in intellectu nostro verissimum est, & verò etiam in angelico, in quo ipso intellectio est actus secundus a primo ipsius intellectus distinctus, illique aduenticius: At in diuino nullo modo, quòd is nullam eiusmodi distinctionem admittat. Intellectum verò esse potestate intellectiva omnia, nihilque eorum actu, solius intellectus nostri proprium est. Etenim angelicus multa esse creditur, diuinus omnia, cum omnium rationes & ideas in se habeat altiori ac meliori modo, quam ipsa sint in seipsis. Denique impatibile esse, neque cum materia permittum, intellectu omni conuenit: sed meliori adhuc modo angelico, optimo autem diuino, qui distit magis a materia sunt & elenari, quam nollet sit, qui inter illos & materiam veluti medius existit.

Ceterum Aueroës dum in ipso initio Digressionis ad tex. 5. differentiam intellectus nostri a materia consideraret, duplicem eam proposuit. Alteram, quod intellectus potestate est ad omnes formas intellectuales vniuersas rerum materialium, materia ad formas sensibiles. Alteram, quod intellectus formas cognoscat, quas suscipit, materia non cognoscat. Sed in vtraque peccauit. In altera, tum quia intellectum dixit potestate ad rerum materialium formas, cum non minus sit ad immaterialium. Tum quod ad vniuersas solum, non item ad rerum singularum formas potestate fecit. Cum tamen has quoque cognoscat, vt in intellectu practico manifestum est: immò & in theoretico, dum in celestium orbium consideratione versatur, si (quemadmodum ille tradidit in commentario 49. libri secundi de celo) numero solum illi differunt, nec ab ijs potest abstrahi vniuersa natura. Tum vero quod materiam dixerit potestate duntaxat ad formas sensibiles. Nam siue sensibiles appellauerit qualitatum sensibilibus formas, siue formas materiales, siue singulares, omnino falsum dixit. Materia namque ad formas item substantiarum, immo magis, quam accidentium, & ad animam item nostram, que immaterialis est, potestate existit, vt illam suscipiat, & cum ea per se vnatur: quidquid ille hac de re senserit. Ac demum si formas solum singulares suscipit, hoc ipsum illi cum intellectu commune est. In altera verò lapsus est, dum rationem eius ostendere voluit. Non enim ea est ratio: quoniam intellectus formas vniuersas suscipit, materia singulas. Nam sensus (tactus maximè & gustatus) non nisi singula suscipit & cognoscat: & intellectus, vt dictum est, singula quoque diiudicat. Et cum intellectiorem suam suscipit, nonne hæc singularis forma est. Sed illa potius est ratio, quam in textu 124. superioris lib.

At respondit Aristoteles, cum de plantis differeret; quia non habet huiusmodi principium, quod suscipere formas possit sine materia. Siquidem omnis cognitio eleuatione constat a materia. Tantumque abest, vt ipsa queat cognoscere, vt omnem potius cognitionem impediatur, nihilque quamdiu cum ea coniunctum fuerit, cognoscatur. *Impermissum quod in se patibile, separabile.*

Alexander autem duobus modis hoc loco abusus est. Primum enim cum eum sententia sue, qua humanum animam intellectum materialem esse, corporeum, ac mortalem statuerat, magnopere aduersari; eò tandem se conuerit, vt impermissum illum appellari interpretaretur, non quod a materia, & corpore immunitis sit; sed quod permisceri non possit. Quod enim permiscetur, antecedere aliquo tempore id oportet, quod ex illo permittum efficitur: quemadmodum elementa permittis corporibus ceteris priora existunt. At humanus intellectus hominem non antecedit. Et quoniam si dissolendus & corrumpendus est, patitur necesse est; impatibile eum dici respondit, quod non patitur ipse, sed per eum corpus. Ac demum separabilem etiam interdum nominari; propterea quod aliud quidpiam sit a corpore diuersum. Deinde hinc alteram illam sententia sue partem, qua intellectum meram & sinceram omnique actu carentem potestatem esse voluit, plurimum credidit confirmari & quasi stabili fundamento niti. Si enim vt omnia intelligat, intelligendis omnibus rebus impermissum esse debet, nec earum vlla forma, & actu præditus, sola igitur ad intellectiva omnia potestas fuerit.

At neque prior interpretatio consentanea est, neque posterior deductio certa ac necessaria. Verè namque obiecit Philoponus, interpretatione illa sensum quoque impermissum, impatibilem, ac separabilem fore. Siquidem nec ipse animal, in quo est, antecedit; nec per se patitur aut corrumpitur, vt est in textu sexagesimo quinto libri primi; sed corporeum organum, quo patiente ac dissoluto pati ac dissolui sensus dicitur. Nec demum ipse idem est cum corpore; sed vt anima, sic facultas omnis anime ab eo diuersa existit. Atqui Philosophus hæc omnia tanquam intellectus propria adfert quibus a sensu ac reliquis anime partibus distingueretur. Deinde si ita, vt Alexandro libuit interpretari, impermissum, impatibile, separabileque dixisset; Anaxagoram testem nequaquam adduxisset. Quoniam is non eodem impermissum & impatibilem dixerat intellectum. Sed impermissum quidem velut separatum a materia, cui congregande segregandeque dominabatur. Impatibilem autem, hoc est congregatiouis & disgregatiouis motu mini-

